

R 29472

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,  
DE  
METHODO SEDATIVA,

QUAM,  
UT SUMMOS IN UTRAQUE MEDICINA HONORES  
RITE ADIPISCATUR,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO  
MEDICORUM

ORDINE, IN UNIVERSITATE CAESAREA  
LITERARUM DORPATENSI,

DIE XVII AUGUSTI MDCCCX

LOCO CONSUETO, HORA X

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR,

JOANNES CHRISTIANUS KLEINENBERG,


CURONVS,

UTRIUSQUE MEDICINAE MAGISTER.

---

DORPATI

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.



## PRAEFATIO.

Spero confidoque fore, ut hae studiorum nostrorum primitiae haud nimis severos iudices offendant; optime enim ipse intelligo, quantum desit plagellis his ad perfectionem. Verum tot sunt difficultates, quibuscum medico, hoc velut stadium primum inituro, luctandum est, ut facile aequos benignosque iudices sperare possit. Maximus enim nunc est disciplinae nostrae ambitus, ut, cum haud multum temporis, dum in universitate literis studet, cuivis eius parti impendere possit, eum statim eminere haut sit expectandum.

*Etsi itaque nunc voluntati effectus haud respondeat, credo tamen, me, otium ubi maius nactus fuero, studio haud intermisso, praeceptoribus meis, quorum memoria numquam ex animo grato excidet, ostensurum, eos neque praeceptis neque exemplo frustra mihi profuisse, neque indigno eum honorem, quo nunc me ornaturi sunt, imperituros.*

*Elegi in his plagellis conscribendis, universalem aliquam curandi methodum, quoniam et mihi persuasum est, therapiam generalem magni medico esse momenti, imo maximi fere inter omnes disciplinae medicae partes; ea enim certissimam se ducem praebet in praxi exercenda.*

*Verum liceat mihi, antequam ad methodum ipsam accedam, pauca quaedam monere: et de stimulorum necessitate ad vitam sustentandam et de receptivitate diversa.*

## SECTIO PRIMA.

*De stimulatorum necessitate ad vitam sustentandam  
et de receptivitate diversa*

### §. I.

**I**ncitamenta et externa et interna semper in nos operantur, ut vita sine iis ne cogitari quidem possit; nam omnium stimulatorum operatione in nos desinente, vitam in organismo penitus languere videmus, quam mors necessario sequitur. Incitamenta excitant omnes organismi vires earumque actionem promovent; iure igitur iam ab Hippocrate et Boerhavio „impetum faciens“ a recentioribus autem „externa vitae

conditio" vocantur. Sic prorsus neglecto animi cultu, illum torporem oriri adspicimus, qui hominem ad bestias detrudit; sic minus exercitatis corporis viribus, hoc mancum est, nec satis efformatum.

### §. 2.

Primam ansam excitandi e somno quasi processus vitalis praebet ovulis Graafianis aura seminalis. Iam qua alia ratione, nisi irritatione, operationem huius aerae in haec ovula explicare possumus? Totus enim generationis actus eius testimonium praebet.

### §. 3.

Vis vitalis reactio, hac irritatione excitata, primum se exserit in forma nisus formativi. Hic initio maxima activitate praeditus est, nec aliter fieri potuit, quoniam totum corpus organicum ex lympa pellucida fere efformetur, necesse est.

### §. 4.

Hic nisus formativus, quemadmodum omnis vis vitalis, sine sensibilitate, in latiori

huius vocis significatu cogitari nequit. Etenim deficiente facultate impressionum percipiendarum, reactioni nullus est locus.

§. 5.

Contra, in primis saltem post conceptionem mensibus, embryoni sensibilitatem, quae proprie sic dicitur, tribuere non possumus. Serius demum oritur, perfectius informato cerebro et systemate nervorum, ut potius is sensibilitatis gradus, qui ad processum vegetationis sufficit, quemque in regno vegetabili invenimus, initio tantum statuendus sit.

§. 6.

Embryoni et infanti recens nato, facultas stimulum percipiendi haud negari potest, at nondum impressionum conscii sibi sunt, tum ea ipsa de causa, quod nervi, per quos solos impressiones recipiuntur, nondum ad eum perfectionis gradum pervenerunt, quo eas cerebro communicare possunt; tum vero potissimum, quia cerebrum ipsum, propter infirmiores consistentiam, his impres-

sionibus nondum ita affici atque ita in eas reagere potest, ut animus perspicuas earum notiones inde sibi acquirat.

### §. 7.

Quantumvis necessaria itaque sunt incitamenta ad organismum sustentandum, imo efformandum, nihilominus tamen, ubi gradum normalem excedunt, vel aucta percipiendi facultate infra hunc gradum subsistunt, destruens eorum operatio in corpus est, atque mors tum ex hyperexcitatione seu asthenia indirecta oritur, quemadmodum, si incitamenta prorsus desunt, ex languescencia seu asthenia directa.

### §. 8.

Facultas vero stimulum sentiendi non una eademque est in omnibus hominibus, sed in aliis altior, in aliis minor. Conditiones, quae illam augent, sunt vel externae, vel internae. Ad externas referuntur: educatio mollior, ratio vivendi, consuetudo, aetas, sexus, clima, ad incitamentum, quod iam antea aderat, accedens novum et si in-

citamentum aliquod aliquamdiu haud operatum est. \*)

### §. 9.

Inter omnes constat medicos, neglectam corroboracionem pathologicam in prima aetate, quemadmodum postea rationem vivendi et consuetudinem, maxime augere receptivitatem, ita ut nunc phaenomena vehementissima ex levi iam incitamento oriantur, Eadem ratio est juvenilis aetatis et femini sexus, quorum character pathologicus aucta sensibilitate stipatur, coniuncta reactione infra proportionem normalem subsistente. Climatis calor nimius fibras subtiliores reddit et ita ad augmentum receptivitatis confert, de quo postea paucis adhuc verbis nobis sermo erit. Ad incitamentum, quod iam antea aderat, accedens novum, mirum in modum facultatem percipiendi auget, ut experientia perspicue docuit. Cl. Balk, praeceptor summe venerandus, ex-

---

\*) Ploucquet: Pathologie mit allgemeiner Heilkunde in Verbindung gesetzt.

emplum de infante affert, lumbricorum fere innumerabilium cohorte laborante, quorum praesentiam longum per temporis spatium nulla prodiderunt phaenomena, quae vero, accedente stimulo febris variolosae, tetrīs sub convulsionibus et membrorum torturis statim se exseruerunt. Denique longior absentia morborum alicuius stimuli specifici facultatem eius percipiendi perquam augeat, quod clare patet, ubi per longum tempus epidemia aliqua haud grassata est, ut quae incipiens vehementissima sit.

#### §. 10.

Conditiones internae maioris percipiendi facultatis, ex materiae organicae mixtione et cohaesione pendent. In statu normali est certa quaedam huius mixtionis cohaesio-  
nisque relatio, qua sublata, corpus potentiis nocivis in illud operantibus, haud satis efficaciter resistere neque eas remove-  
re potest, quae resistantia eo magis imminuitur, quo abnormior haec mixtionis proportio facta fuerit. Ita quoque exigua fibrarum organicarum cohaesio facultatem stimulum

sentiendi valde auget; nam quo subtiliores et teneriores eae sunt, eo vehementiores incitamenta vel levia in eas machinantur impetus, idque eadem de causa. Organismus in aetate tenera infantili et sexu sequiori minori cohaesionis gradu gaudet et incitabilitatis gradu aetatem proveciorem et sexum virilem longe antecellit. Neque tamen cohaesionis gradus sit ita exiguus, ut in veram laxitatem abeat; ita enim cohaesione diminuta debilitas torpida organisi inducitur.

## §. II.

Mixtione partium fluidarum et cohaesione solidarum etiam temperamenta constituuntur, e quibus receptivitatis vel gradus maior, vel minor pendet. Sanguinicus et cholericus enim, multo magis hac facultate gaudent, melancholico et phlegmatico. Melancholicus quidem irritamenta percepta longe servat et intensione forti in ea reagit; sed impetu incitantium perquam valido, aut iterum iterumque saltem repetito hic opus est, donec percipiuntur.

## §. 12.

Imminuitur vero haec facultas per conditiones, quae contrariae sunt iis, quibus eam augeri paulo ante diximus.

## §. 13.

Huic receptivitati auctae, multae morborum formae speciales originem debent, quibus omnibus methodus sedativa opponenda est, ut ei, tamquam fundamento, tota medendi ratio nitatur.

## SECTIO SECVNDA.

### *Brevis methodi sedativae expositio.*

#### §. 14.

Quemadmodum methodus excitans adhibenda est irritabilitate languescente, ita methodus sedativa locum habet irritabilitate morbose aucta. Finis itaque, qui huic methodo propositus est, in imminutione receptivitatis nimis auctae et debilitatione haud permanente, consistit, uti e contrario methodo excitante utimur, ad augmentum vis vitalis non constans, sed apparens tantum et quasi periphericum seu extensivum producendum, ut phaenomena validiora exoriantur.

#### §. 15.

Duplex vero relatio in hac irritabilitate nimis aucta cogitari potest. Est enim vel

debilitas irritabilis, vel robur irritabile. Altera si locum habet nimiam receptivitatem, reactione haud respondente invenimus; si vero alterum, iusta est reactionis et receptivitatis proportio. Videmus enim, praecedentibus incitamentis operantibus, reactionem validam fortem pari passu cum receptivitatis augmento auctam. Sed tum methodus sedativa haud amplius adhiberi potest, verum methodum debilitantem rei conditio postulat.

#### §. 16.

Methodus sedativa vel adhibetur contra ipsam auctae irritabilitatis causam, et tum revera est cura causalis, vel specificè tantum in excitationem operatur, ubi cura symptomatologica est. His duobus modis methodus sedativa consideranda venit.

#### §. 17.

A) Methodus sedativa tamquam cura causalis.

Haec si methodus formam curae induit causalis, respicit ad causas irritabilitatis

nimiae, propter quas adhiberi debet. Harum causarum quatuor sunt genera. Insunt enim vel in copia materiae organicae, vel in mixtione, vel in forma eiusdem, vel in viribus. —

### §. 18.

1) Causa irritabilitatis nimis auctae in copia materiae organicae versatur.

Inter copiam materiei organicae et virium modulum ea intercedit relatio, ut magnitudo virium augmento materiei accrescat, decremento autem decrescat. Tamen materia habeat mixtionem cohaesionemque normalem necesse est, si dicta nunc experientia probata videre velis. Materia organica fluida in partes solidi vivi ita operatur, ut stimuli naturalis vice fungatur. Si vero fluidorum organicorum copia, quae in vasis undulat, virium moventium gradum superet, tunc parietum vasorum cohaesio expansione diminuitur, et cohaesione dirinuta incitabilitatis gradus normam excedit. Sic et in aetate puerili aut iuvenili multo

plura alimenta extrinsecus corpori adducuntur, quam priori in aetate, multo tamen minor cohaesio est in his aetatibus, quam in virili, propterea multum in illis receptivitatis invenimus, reactione infra relationem iustam subsistente. Hoc in casu methodo sedativa utimur, cum modo pabula, quae extrinsecus corpori advehuntur, ratione quantitatis diminuimus; ratione qualitatis vero ea eligimus, quae blanda sunt, minus materiei nutrientis suppeditant et stimulo acriori carent. Hanc sedandi rationem illi praefero, quae, etsi modica fluidorum organicorum evacuatione ad scopum suum adipiscendum utatur; quod potissimum de sopiendo incitabilitatis excessu in tenera infantia et graviditatis statu monitum volui, si iste hoc e fonte redundaret. Nec unquam tantum alimentorum, aut tot humores subducenda sunt, ut debilitas inde oriatur, sed ad eum tantum gradum, ut aequilibrium inter materiae copiam viriumque modulum reconstituatur.

## §. 19.

2) Causa inest mixtioni materiae  
organicae.

Oritur haec ex imminuta cohaesione elementorum organicorum fluidorum, deficiente colla sanguinis. Quod ubi locum habet, ibi acriores sanguinis partes nimiam excitationem in vasibus et per haec in ceteris organis producunt. Hic status oritur tum ex deficiente cohaesione partium solidarum, quoniam chylus tum haud satis concoqui potest, tum ex nimia copia azotici, hydrocarbonatis calorigici, electricitatis, quoniam horum vis in collam resolvens est. Quid quod fluida oxygenio ditiora, quae magno impetu in vasa nervosque, parietes vasorum arteriosorum cingentes, operantur, hinc accusanda erunt. Ubi imminuta cohaesio, deficiente colla, causa huius mixtionis morbosae est, ibi methodus roborans et restaurans sedative operatur. Eligantur ea alimenta, quae modice excitent, et multum collae contineant. Insuper elixirium acidum Halleri valde dilutum, aër frigidiusculus, quies, sopiendi scopo hinc egregie respondent. Ubi abun-

dantia oxygenii, calorigi et electricitatis locum habet, ibi maximae erit utilitatis balneis tepidis, aëre humido, atque eiusmodi vestimentis uti, quae caloricum abducant. Neque minus conveniet, scintillam electricam ope cuspidis lignei e corpore elicuisse.

§. 20.

3) Causa in forma materiae organicae quaerenda est.

Oritur haec causa ex imminuta cohaesione partium solidarum, propterea invenitur in infantibus et feminis, praecipue vero in cerebro et nervis, quoniam in his minima est cohaesio et maxima sensibilitas. Adhibeantur hic: aër siccus, balnea frigida, frictio corporis, motus atque remedia adstringentia et tonica, quae omnia hoc in casu mere sedativa sunt.

§. 21.

4) Causa viribus ipsis insidet. Duplici hoc vitium ratione cogitari potest: irritabilitas aut in universo orga-

nismo aucta apparet, causis vel externe, vel interne operantibus; vel in nonnullis tantum partibus sensibus patet.

§. 22.

a) In toto organismo vires per incitamenta vel artificiosa, vel naturalia augentur. Ad priora referuntur: omnia incitamenta externa et interna fortiora. Methodus sedativa tum aut negative tantum in incitamentis removendis, aut positive adhibitis reagentibus, quae horum incitamentorum vim frangunt, potest operari. Sunt vero etiam incitamenta naturalia, quae vires ita excitare possunt. Immediate talis hyperincitatio in morbis cerebri et nervorum, mediate in affectionibus systematis vasorum invenitur. Pertinent ad causas huius status: animi commotiones, affectus incitantes et incitatio febrilis. Plerumque tamen vitia quoque in forma et mixtione materiae organicae, inter causas excitationis virium referenda sunt, qua propter vires immediate excitatas esse haud est putandum. In affectibus ipse corporis situs mutatus vim

habet sedativam. Sic e. g. iracundus stando ambulandove valde saevit, cuius ira statim evidenter decrescit, cum sedet, quo situ musculorum multorum nervorumque tensio relaxatur, quae incitamenti maioris conditio erat interna. Huc etiam pertinent: amotio eius rei, quae affectum movebat; admonitiones, aërque frigidus. In perturbationibus animi iuvat: mentis deductio in obiecta aliena, occupatioque aliis cum rebus magis illi placentibus; remotio obiecti, quod mentem movebat, musica, praesertim unisona. Incitatione febrili vires excitante, irritamenta antagonistica in plexum nervi sympathici leniter operantia, indicata sunt, v. g. clysteres aut leniter incitantes aut mucosi, involventes; balnea tepida; quies; remotio strepitus, et omnium eorum, quae organa sensuum tum internorum, tum externorum incitant; aër frigidus; somnus; nonnumquam etiam exhaustio principii; quod irritabilitati substratum habemus, quae fit per hyperexcitationem.

#### §. 23.

b) Vires immediate etiam topice

excitatae esse possunt. Haec excitatio aut artificialis, aut naturalis, esse potest. Illa oritur ex irritamentis topicis interne externeve praebitis. Irritamenta haec, vires topice excitantia, aut amovenda sunt aut coërcenda. Irritamenta vero topica, quae a viribus vitae ipsis ulla absque causa externa proficiscuntur, sunt aut mechanica aut vitalia. Ad priora pertinent: stimuli fractorum ossium, exostoses, tumores cystici &c. Methodo sedativae id agendum est, ut irritamenta removeat et partium incitatarum functionem sanam, moderatam restituat. Causae internae seu vitales sensibilitatis topice auctae, sunt potissimum in inaequali virium, praesertim irritabilitatis, distributione quaerendae. Distributio aequalis per methodum derivantem et antagonisticam sedativa vi nunc aget.

#### §. 24.

B) Methodus sedativa tamquam curamere symptomatice.

Methodus haec tamquam cura symptomatice, altiori et propria huius vocis significatione, sedativa est. Non in tollenda cau-

sa nimiae incitabilitatis versatur, sed modotum de impressione, quam causa haec in organa incitabilia machinatur, diminuenda cogitat; tum, si hoc auxilii genus negatum sit, facultatem organi ipsius stimulum excitantem percipiendi eoque moveri, extinguere molitur. Sed methodus sedativa tali modo adhibita, cum nullam rationem causarum tollendarum habeat, certis tantum sub conditionibus adhiberi potest, quas hoc loco enumerasse iuvabit.

#### §. 25.

Indicationes ad hoc, methodum sedativam adhibendi, genus.

Adhibeatur haec methodus:

1) Ubi nimia excitatio instans vitae periculum minatur. Quod ubi locum habet, vera est indicatio vitalis. Per nimiam enim excitationem, principium, quod irritabilitatis quasi basis est et nutrimentum, consumitur et mors inde ob hyperexcitationem debilitatisque indirectae, ex hac redundantis, gradum maximum sequitur.

2) Ubi symptoma aliquod morbum ipsum auget. Methodus sedativa tum pars essentialis est methodi fundamen-

talís. Sic dolor tamquam novum operatur incitamentum, qui statum aut hypersthenicum aut asthenicum perquam auget, et mitigatio eiusdem in inflammationibus, magni momenti est. Sic in laesionibus et inflammationibus pectoris, tussis inde orta, stimulus est novus, qui facit ad augendam inflammationem, ubi eius sedatio per narcotica, oleosa &c. essentialiter ad methodum pertinet antiphlogisticam.

3) Ubi causa morbi in perdurante efficacitate stimuli alicuius externi posita est. Hic methodus sedativa tendit ad facultatem organorum stimulum sentiendi, aut vim excitativam stimuli ipsius diminuendam. Sic substantiae acres causticae aut venena tractum intestinorum dum afficiunt, persaepe nil amplius adhibetur, quam lac aut remedia oleosa. Sic in vulneribus valde dolentibus et combustionibus, olea et unguenta externe applicantur.

4) Ubi remedium externe aut interne praebitum, excitationem localem aut consensualem vehementem producit, quae non ad effectum

exoptatum pertinet, aut ei omnino adversatur. V. g. mercurius sublimatus, qui in lue venerea adhibetur, interdum vomitum, dolorem ventriculi, diarrhoeam &c. efficit. Effectum hunc secundarium additamentum opii, aut hyoscyami tollit, aut vehiculum aliquod mucosum. Sic in debilitate irritabili, roborantia vel maxime indicata, phaenomena similia in ventriculo producant, quae, iterum debilitando, remedium ipsum toto effectu suo privare possunt. Hinc etiam additamentum opii aut hyoscyami &c. nimiam ventriculi sensibilitatem diminuens, phaenomena illa sinistra amovet, ideoque adjuvantis nomen meretur. Sic cortex chinae, diarrhoeam dum profert, febrem intermittentem non tollit, nisi effectum eius purgativo prius extincto. —

5) Ubi propriam causam remove non possumus, nisi irritabilitate nimia prius sublata. Receptivitatem nimis auctam persaepe in morbis infantum, mulierum, cerebri et nervorum invenimus, et morbum ipsum sanare non possumus, nisi illa prius placata sit.

6) Ubi causa vel natura sua absolute, vel propter gradum et durationem efficacitatem artis superat. In omnibus morbis insanabilibus medico id agendum est, ut vitam, quamdiu fieri potest, sustineat. Assequimur hunc finem, aut mitigatione phaenomenorum, aut diminutione facultatis organorum stimulum sentiendi morbosum.

7) Ubi causam omnino ignoramus, excitatio vero nimis aucta auxilium praesens efflagitat. Causa hic aut plane occulta esse, aut praesenti tantum momento se cognitioni nostrae subducere potest. Priori casu tantummodo in mitigatione symptomatum eminentium acquiescamus necesse erit; alter si locum habet, excitatio nimis aucta celer postulat auxilium, sicut sub ~~novidimus~~.

8) Ubi causa morbi nulla alia est, nisi haec ipsa receptivitas nimis aucta. Hoc si locum habet, methodus sedativa per se sufficiens erit, ad statum hunc morbosum tollendum.

## §. 26.

Regula principalis in applicatione huius methodi est: remedia ad sopiendum adhibita indicationi fundamentali ne sint contraria. Sic in inflammationibus quamvis sedatio indicata sit, attamen opium eligi non poterit, quia systema vasorum perquam excitat, et ideo morbum fundamentalem, statum inflammatorium augeat. Hic hyoscyamus erit adhibendus, quia secundo hoc effectu caret. Exceptis his casibus, ubi indicatio vitalis, ad vitam sustentandam, sedationem phaenomenorum, neglecta ipsa cura causali, postulat, aut ubi in morbis insanabilibus methodus sopiens sola adhiberi potest. \*)

## §. 27.

Duae sunt rationes hanc methodum adhibendi :

I) Impressionem, quam causa receptivitatis nimis auctae in organa incitabilia exserit, aut imminuenda, aut prorsus tollenda. Qua in re

---

\*) Hufeland: System der praktischen Heilkunde.

hoc ponitur, causam hanc non esse ipsam receptivitatem auctam, sed incitamentum aliquod extra fibram organicam positum et materiale.

§. 28.

Hunc vero scopum triplici assequimur ratione: vel mechanica, vel chemica, vel therapeutica.

Mechanice: incitamentis involvendis, ut oleorum, vel remediorum mucosorum, involventium ope.

Chemice: adhibitis talibus medicamentis, quae chemice agunt, atque mixtionem stimulorum materialem alterando mitigant. Verum necessarium est, ut naturam chemicam stimuli huius accurate noverimus, quo apta reagentia illi opponi possint.

Therapeutice: remotis omnibus incitamentis accessoriis, quae excitationem aut augeant, aut oriri demum faciant. Saepe causa excitans, neque qualitatis neque quantitatis ratione habita, valde magna reperitur, sed excitatio, quae initio topice tantum aucta fuerat, universalis fieri potest. Incitamentis itaque accessoriis omnibus re-

motis, impedimus, quo minus excitatio universalis fiat, quo ipsum incitamentum primum debilitatur.

§. 29.

II) Altera ratio, methodum sedativam qua curam symptomaticam adhibendi exigit: ut facultatem organorum, qua impressiones ut incitamenta percipiant, diminuamus. Prior ratio negativa est et obiectum spectat, haec est positiva, qua ex causa et methodus subjective sedativa vocari meretur.

§. 30.

Etiam ad hunc finem triplici ratione pervenimus: vel mechanica, vel chemica, vel dinamica:

1) *Mechanice*. Refertur huc: nervorum interligatio, eorundem pressio, dissectionio; situs horizontalis in haemorrhagia uteri; situs erectus dependentibus pedibus in pneumonia e. s. p.

2) *Chemice*. Referuntur huc: aër oxygenio destitutus, sed huius effectus magis negative sedativus est. Contra aër, gasibus impletus deprimentibus, positive

operatur, oxygenium in corpore imminuens. Hic etiam effectus est aëris et frigidi et humidi, Iqui caloricum et materiam electricam, haec subtilissima et perquam valida incitabilitatis pabula, e corpore elicit et sic incitabilitatem ipsam extinguit.

3) *Dynamice.* Remedia, quae hic nobis praesto sunt, sequentia habeto: quies; pathemata animi deprimentia; firmum animi propositum et se ipsum et cogitationes compescendi; subductio cuiusvis incitamenti externi; exhaustio principii, quod irritabilitatis conditio interna est; imminutio erethismi tensionisque fibrarum; olea; balnea tepida; incitatio antagonistica, praesertim in receptivitate localiter aucta; remedia condensantia, contrahentia, acida mineralia, nonnulla quoque acidorum vegetabilium; remedia denique, quae specificè sedativa dicuntur, narcotica.

§, 31,

Remedia ipsa dividuntur:

A) In eiusmodi remedia, quae, *haud* praecedente hyperexcitatione, sedant Quo pertinent, odores suaves, iique

fortes; musica iucunda et unisona; lenis corporis frictio in locis ubi nervorum magna est copia, quae semper eadem directione instituitur et quidem decurrentem secundum situm nervorum, quo aegrotus in somnum labitur; praeterea electricitas negativa; folia aurantiorum; flores et capita papaveris; balnea, praesertim tepida; balnea lactis; aër tepidus; parvae doses salium neutralium cuiuscunque generis; radix paeoniae, millefolium; mucilaginosae; oleosa; zinci flores, et omnia praeparata ex plumbo.

## §. 32.

B) In eiusmodi remedia, quae, hyperexcitatione procedente, sedant. Pertinent huc: omnia narcotica; e. g. opium; hyoscyamus; belladonna; conium maculatum; cicuta; stramonium; lauro-cerasus et partim etiam valeriana.

Prius remediorum genus in morbis hypersthenicis iure adplicatur, posterius ut sedans in eiusmodi morbis asthenicis palam sibi eripit, qui debilitate irritabili notantur. —

---

THESES.

I.

Solutio placentae post partum plerumque naturae commendanda est.

II.

Sectio caesarea tutissime in linea alba instituitur.

III.

Suturam vulneris externi ibi plerumque superfluam esse censeo.

IV.

Cartilaginis ossis pubis sectio, operatio non solum inutilis, verum etiam noxia, iure relicienda.

V.

In foetibus immaturis solis, situs, clunibus ad os uteri conversis, naturae committendus est.

## VI.

Et in suturis trepanatio interdum instituenda est.

## VII.

Ulcera verminosa non sunt propriae species ulcerum.

## VIII.

In cerebri commotionibus trepanatio nunquam est instituenda.

## IX.

In oculorum inflammationibus medendis, remediis abstinendum est unguinosis.

## X.

Non omnes ventriculi - laesiones absolute sunt letales.

## XI.

Et superficiales cordis laesiones existunt.